Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uericet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes astutior
fiet. Domus iusti plurima fortitudo: et infructibus impii conturbatio.
Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Hostia
impiorum abhominabiles domino: uota iustorum placabilia. Abhomi
natio est domino uia impii: qui sequitur iusticiam diligitur a deo. Doctrina
mala deserenti uiam uitae: qui increpationes odit morietur. Infernus et
perditio coram domino: quanto magis cordia filiorum hominum. Non amat pesti
lens eum qui se corripit: nec ad sapientes gradiet. Cor gaudens exhilarat
faciem: in merore animi deicit spiritum. Cor sapiens quaerit doctrinam: et os
stultorum pascetur imperitia. Omnis dies pauperis malus: secura mens quasi
iugiter conuiuium. Melius est parum cum timore domini: quam thesauri magni
et insatiabiles. Melius est uocare ad olera cum caritate: quam ad uitulum
saginatum cum odio. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est mitigat
suscitatas. Iter impiorum quasi sepis spinarum: uia iustorum absque offendi
culo. Filius sapiens letificat patrem suum: et stultus homo despicit ma
trem suam. Stultitia gaudium stultorum: et uir prudens diriget gressus.
Dissipantur cogitationes: ubi non est consilium. Ubi autem plures sunt consilia
ri confirmantur. Letatur homo sententia oris sui: et sermo opportunus
est optimus. Semita uitae sursum eruditorum: ut declinet de inferno nouis
simo. Domum superborum demolietur dominus: et firmos faciet terminos uiduae.
Abominatio domini cogitationes malae: et purus sermo pulcherri
mus firmabitur a deo. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam:
qui autem odit munera uiuet. Mens iusti meditabitur obedientiam: os im
piorum redundat malis. Longe est dominus a impiis: et orationes iustorum ex
audiet. Lux oculorum letificat animam: fama bona impinguat ossa. Au
ris quae audit increpationes uitae: in medio sapientium commorabitur.
Qui abiicit disciplinam despicit animam suam: qui autem acquiescit incre
pationibus possidet cor suum. Timor domini disciplina sapientiae: et gloriam